

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Terentius,|| A` M. Antonio Mvreto|| locis prope
innumerabilibus|| emendatus.||**

Terentius Afer, Publius

Venetiis, 1558 [erschieden] 1559

C. Sulpicii Apollinaris Periocha.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-723936](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-723936)

ACTA LVDIS FVNEBRIB. L. AIMI-
LII PAULLI. Q. FABIO MAXIMO, P.
CORNELIO AFRICANO * AED. CVR.
EGERE L. ATILIVS PRAENESTINVS,
MINVTIVS PROTIMVS. MODOS FE-
CIT FLACCVS CLAVDII. TIBIIS SER-
RANIS. FACTA E GRAECA MENAN-
DRV, L. ANICIO M. CORNE-
LIO COS,

C. SVLPICII APOLLINARIS
PERIOCHA.

*Vos cum haberet Demea adolescentulos,
Dat Mitioni fratri adoptandum Aeschinum,
d Sed Ctesiphonem retinet. hunc citharistriae
Lepore captum, sub duro ac tristi patre,
Frater celabat Aeschinus; famam quoque
Amoris in se transferebat: denique
Fidicinam lenoni eripuit. uitiauerat
Idem Aeschinus ciuem Atticam pauperculam;
Fidemq; dederat, hanc sibi uxorem fore.
Demea iurgare, & grauiter ferre: mox tamen,
Vt ueritas patefacta est, ducit Aeschinus
Vitiatam, potitur Ctesiphonem citharistriam,
Exorato suo patre duro Demea.*

PROLOGVS.

*Ostquam poeta sensit scripturam suam
p Ab iniquis obseruari, & aduersarios*

Rapere

A D E L P H I

Retinere, satius esse credo, quàm metu.
 Hæc fratri mecum non conueniunt, neque placent.
 Venit sæpe ad me clamans, quid agis Mitio?
 Cur perdis adolescentem nobis? cur amat?
 Cur potat? cur tu his rebus sumptus suggeris?
 Vestitu nimium indulgis: nimium ineptus es.
 Nimium ipse durus est, præter æquomq; , & bonum:
 Et errat longe mea quidem sententia,
 Qui imperium credat grauius esse, aut stabilius,
 Vi quod fit, quàm illud, quod amicitia adiungitur.
 Mea est sic ratio, & sic animum induco meum.
 Malo coactus qui suum officium facit,
 Dum id rescitum iri credit, tantisper cauet:
 Si sperat fore clam, rursus ad ingenium redit.
 Quem beneficio adiungas, ille ex animo facit,
 Studet par referre, præsens, absensq; idem erit.
 Hoc patrium est, potius consuefacere filium,
 Sua sponte recte facere, quàm alieno metu.
 Hoc pater, ac dominus interest. hoc qui nequit,
 Fateatur nescire imperare liberis.
 Sed est ne hic ipse, de quo agebam? & certe is est.
 Nescio quid tristem uideo. credo iam, ut solet,
 Iurgabit. saluom te aduenire Demea,
 Gaudemus.

ACTVS PRIMI SCENA II.
 D E M E A , M I T I O .

De. Em, opportune: te ipsum quaerito.
 Mi. h Quid tristis es? De. rogas me, ubi nobis
 Aeschinus

Sitt